

Q. 524, 14.

B. m. II, 472

II C
354

ADJUVANTE JESU!

X1860601

De

POETARUM REGE,
HOMERO

In alma ad Varnum, Superiorum indultu

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS PASCHII,

Prof. Publ.

Publicè disputabit

JOHANNES Wendeler/
Rostochiensis.

Ad diem XXI. Decembr. A. R. S. M DC XXCVII.



ROSTOCHII,

Imprimebat JOH. WEPPLING Acad. Typogr.



4 1/2



SERENISSIMO
PRINCIPI^{ac} DOMINO.
DOMINO
GUSTAVO A-
DOLPHO,

DEI Gratiâ Duci Megapolita-
no, vetustæ Gentis Henetæ
Principi, Sverini & Racebur-
gi, Sverinenfi Comiti, Rostochii
& Stargardiæ Terrarum

Dynastæ,

DOMINO NOSTRO
CLEMENTISSIMO,

ET

NUTRICIO MEO MUNIFICENTISSIMO

Felicitatem omnigenam

ab

Omnis salutis fonte JESU
piè & subjectissimè precor,
JO. PASCHIUS,

PRINCIPUM SERENISSIME,
&
ERUDITISSIMORUM facile PRINCEPS!

OMnium frugum rerumq; primitias populum DEO debuisse DEO Divinus testis Moses est. Quod eâ quoque de causâ factum volunt Theologi, ut omnia bona DEO accepta referrent, Ipsiusq; supereminens Dominium hoc canone agnoscerent. Tu mihi, SERENISSIME PRINCEPS, post DEUM inter Homines ideò maxime colendus, quòd me ex alienis terris natali reddideris solo, Academicæ juventuti simul præfectum clementissime constitueris, & beneficio hæcenus non uno TIBI munificentissime devinxeris. Quicquid per munera mihi commissa Tanto PRINCIPE, Quem ceu Eruditorum Solem stupet literatus orbis, dignum operari valero, TIBI SOLI me debere humillimè intelligo. Quare primos non ex PROPHE TARUM luce, Quæis mea per vitam studia pio destinaveram consilio, sed POETARUM tenebris, quibus per Gratiam
TU.

TUAM implicitus vivo, laborum fructus eâ, quâ es per orbem celebratus, Clementiâ accipe. Non mihi vanos fingo metus, aut tuta omnia timeo, exiguo hoc munusculo GRATIAM in me TUAM exspiraturâ, qui solatium in admiranda TUA Gratiâ, spem Gratia in grati animi gratiâ posui. HOMERUM Regum atque Principum manu non indignum exhibeo, quem Orientis ille Monarcha ALEXANDER M. Sibi in ipsis castris ac bellicis tumultibus ita commendatum habuit, ut ne nocturno quidem tempore eum a se dimiserit, sed cubitum iturus unâ cum pugione sub pulvino suo, narthecio Darii reconditum, collocaverit. PHILOPOEMENES, fortissimus Achæorum Dux, ex Homericis carminibus iis attendebat solis, quæ ad fortitudinem excitare & animos incendere existimabat. CERCIS, Arcadum legislator, tumulo suo primum & secundum Iliadis librum infelendum jussit. POMPEIUS M. tantus Agamemnonis æmulus erat, ut sine Iliadis lectione nec pugnam nec expeditionem susciperet. ALCIBIADES ludimagistro, qui nihil Homeri se habere diceret, colaphum inflixit, eumque reliquit. CASANDER Rex Macedoniae complura Homeri carmina semper habebat prompta, & suâ sæpe manu descripta. Hæc non adduco, ut Illustrissimæ SERENITATI TUÆ dudum probata commendem, sed ne quis Celsissimi NOMINIS TUI Majestatem, Homeri inscripti vilitate violatam opinetur. Sine igitur, SERENISSIME PRINCEPS, ut placeat munus, subjectissimi animi index, quod offero, DEUS interim TE, Qui nos servas, TUAMQUE DOMUM quam diutissime servet, omniaque vota, quæ PII BONIQUE PRINCIPIS sunt, heic & æternum impleat.

*Dabam Rostochi, A. R. S. MDC XXCVII.
die D. Thomæ.*



Οἷς συνέγραψεν!

CAPUT I.

De Vita HOMERI Fatia.

§. I.



Liada post *Homerum* meditari, & acta agere videbitur, qui post *Herodotū* (a), *Plutarchum* (b), *Porphyrium* (c), *Eustathium* (d), *Spondanum* (e), *Cameraarium* (f), *Vossium* (g), *Sanderum* (h) aliosque de *HOMERO* planius pleniusque scribere suscipiet. Nemo enim tam perfictæ frontis aut profligatæ audaciæ erit, ut vetustissimis argumenti huius *Autoribus* proterve re-

fragari, aut in re tam veteri aliquid novi & inauditi promittere, aut in hâc dubitationum aleâ, nulla ratione inductus, certi quid statuere aufit. Nihilo tamen magis insigne & amplum, quam utile ac jucundum est de hoc *Poetarum Dædubo HOMERO*, repetitis seculorum atque ætatum vicibus, inter eruditos disquiri, ut variæ *Autorum* sententiæ de vitæ *Homericae Fatia*, scriptorum *dignitate* & nunquam mortura inter mortales *gloria* ad invicem collatæ, & suo quæq; loco digestæ non modò morosi lectoris tædium atque fastidium tollant, sed & morum studiorumq; exempla, ex *Iliade* corporis virtus, ex *Odyssæa* animi fortitudo atque constantia, formentur. Neutiquam enim frustra factum scias

A

quod,

quod magnus ille *ALEXANDER* (i) Homeri Iliadem *ἡς ἑρ-
σικῆς δευτέρῃ ἐπέῳ*, *bellica virtutis viaticum*; *JUSTINIANUS*
IMP. (k) Homerum *omnis virtutis Patrem* salutare dignati
sint. Et quam insignem ex cognitione hujus Poetae usum
Academiae quondam Juliae Phoenix *Jo. Caselius* (l) itemque
Jo. Spondanus (m) perceperint, dicere Ipsi nequeunt, quod
tamen suo loco (n) dicetur.

- (a) Qui peculiarem de *Vita Homeri* librum, vel potius alius qui-
dam sub nomine ipsius, scripsit. (b) Cheronensem in libro,
quem de Homero reliquit. (c) qui cum Plutarcho exstat &
conjungitur ab Henr. Stephano, editione Homeri A. D. 1566.
(d) Archiepisc. Thessalonicensem, qui luculentissimis com-
mentariis Homerum illustravit. (e) Qui Homeri, quae ex-
stant cum versione omnium, omnia edidit, & de Homero in
Prolegom. fuse satis disseruit. (f) Qui priores duos Iliadis
libros 45. annis ante Spondanum illustratos edidit. (g) de
Poet. Gr. (h) Ludi quondam Magdeburgensium Rectorem,
qui lib. IX. Iliadis seorsim edidit, cui vitam & scripta Homeri
subjunxit. (i) Teste Plutarcho lib. cit. p. 32. (k) Quod re-
fert Spondanus in Proleg. de Hom. (l) In II. Epistolarum vo-
lumine, Epist. 17. ad Dn. Ernestum ab Honoda. (m) l.c. (n)
Cap. III. de *Φιλοσοφείῃς*.

§. II. Hic ille est HOMERUS, cui ceu *Poetarum Regi* (a),
& antiquissimo Philosophorum Induperatori reliqui, eodem
Homeri nomine clari, palmam porrigere, & tanquam nani
cedere tenentur. In Historia enim literaria *Tragicus* quoque
reperitur *Homerus* (b), ex Poetarum plejade ultimus, Hie-
ropoli oriundus, cui Mater *Myro* (c) Byzantia Poetria fuit,
quae elegias condidisse & Filio plurima suggestisse poemata
fertur. *Archilochus* (d) octo Homeros recenset: I. *Smyrnaeum*,
Teutei Regis Assyriorum praefectum, II. *Cbium*, arte Medi-
ca celebrem, III. *Cumaem*, rebus magicis famosum. IV. *Sala-
minium*, institoria arte perdivitem civem. V. *Colophonium*,
pictorem & statuarium praclarum. VI. *Atheniensens*, abolita-
rum Athenis legum restitutione & novarum sanctione il-
lustrem

lustrem. VII. *Argivum*, artis musicae & Geometricae peritum. VIII. *Maonium*, Olympico certamine victorem, cui soli potestas characteres, nomina & linguam Graecam emendandi data est. Hi planetae sunt ad Solem *HOMERUM*, quos situ aetatis partim, partim meritorum splendore, & gloriae diuturnitate multis parasangis superat.

(a) Sic illum honorat Plinius lib. VII, c. 29. ibique Dalechamp. p. 313. 314. Conf. Bœclerum ad Vellej. Paterc. lib. I. c. 5. p. 35. (b) Cuius mentionem facit J. J. Hoffmannus Lex Universi. tom. prior. pag. 785. (c) Conf. nostrum, si meremur, Gynæceum doctum sub voc. Myro. (d) lib. de Temporibus, ex quo relata referunt Bas. Faber in Thes. Erud. Schol. Edit. Buchn. p. 1101. Add. Hoffmannus l. & p. cit.

§. III. *HOMERUM* nostrum nec caelo delapsum, nec terris protrusum, nec bestiis, sed hominibus natum certo scimus, nescimus autem quibus *PARENTIBUS* acceptam tulerit vitae usuram. Nomina quoque eorum, familiam, vitaeque conditionem nos clam esse & fugere fatemur. Conjicimus tamen Eum obscuro & humili, honesto tamen genere natum fuisse, quod, uti antiquo Majorum stemmate destitutum habuit, ita proprio virtutum splendore immane quantum illustratum dedit. Ipse *HOMERUS* grandiusculus factus, & non nihil gloriae ob poetices studium consecutus oraculum consuluisse dicitur (a), ut Parentum nomina fortemque diceret Diabolus. Pari propemodum ratione Appion *Grammaticus* (b), magicæ arti addictus natales *HOMERI* inquisivisse dicitur. *ARISTOTELES* (c) *HOMERUM* a Dæmone quodam, Musarum familiari genio, conceptum & ex puella, Insulae *JO* indigena, natum memoriae prodidit. *Ephorus* *Cumæus* (d) hoc agit, ut *HOMERUM* ex eadem secum gente oriundum ostendat; Tres enim exstitisse fratres *Cumæos* perhibet *Atellem*, *Maonem* & *Dium*. Ex his *Dium* æris alieni causâ *Ascrans* *Beotiae* pagum commigrasse, atque ibi, *Pycinæda* uxore du-

Etâ, *Hesiodum* genuisse; *Atellem* in patria *Cuma*, filia *Critei*
beidis tutelâ *Mæoni* mandatâ, vitam cum morte commu-
tasse; Ab hoc *Mæone* patrueli imprægnatam *Criteidem* &
mox *Phemio*, ludimagistro *Smyrnenfi* nuptui datam, quum
ad lavacra, quæ juxta *Meleten* erant, commearet, *Home-*
rum apud fluvium peperisse recenset. *Herodotus* (e) de na-
tivitatis loco & furtivo concubitu idem cum *Ephoro* sentit;
nisi quod de parente *Criteidis* aliter tradat, dum *Melanopum*,
Ithagene *Crithonis* filio genitum, adducit, qui cum *Omy-*
retis *Cumani* filiâ è legitimo toro *Criteidem* procreasse, &
vita defunctus filiam hanc *Cleanactis* *Argivi* tutelæ credidisse
dicitur. *Suidas* (f) inter alias de *HOMERI* parentibus opini-
ones & illorum adducit, qui Eum *Telemachi* *Ulyssis* Filii,
& *Polyastes* *Nestoris* Filia prolem fuisse contenderunt. Affert
insuper aliam *HOMERI* genealogiam hunc in modum. *Ætbusa*,
Thraciæ mulieris filius fuit *Linus*, hujus *Pierus*, hujus *Oe-*
agrus, hujus *Orpheus*, hujus *Euclees*, hujus *Jamovides*, hujus
Philoterpes, hujus *Epiphrades*, hujus *Melanopus*, hujus *Apel-*
les, hujus *Mæon*, qui unâ cum *Amazonibus* *Smyrnam* ve-
nit, & ducta uxore *Eumetide*, *Euepis* *Mnesigenis* filii filiâ, pro-
creavit *HOMERUM*. Deniq; cum certiora de *HOMERI* pa-
rentibus superstitiosa antiquitas non haberet, factum, ut
propter singularem & propè divinam ingenii vim atq; præ-
stantiam *Apollinis* & *Calliope* filius æstimaretur, ejusq; ori-
go ad *DEOS*, quos homines pagani putabant, referretur (g).
Sed quantum fidei his omnibus tribuendum, tribus dicam.
Aristoteles optimæ notæ Philosophus est, sed malæ fidei Hi-
storicus. Quinimò in hac *Homeri* genealogia etiam Philo-
sophus esse definit, quia Spiritum substantiæ corporeæ ra-
tionalis parentem supponit, quod tamen naturæ & naturâ
impossibile. Facile autem *Aristotelem* excusatum habe-
mus, si, aut popularem vulgi errorem de *Dæmonum* cum ve-
nificis suis coitu secutus, liberè in re poeticâ scripserit, aut

Homerus

Homerum, humanæ sortis originem superasse intenderit. *Ephorum* quod attinet, affinitatis Homericæ præpostero affectu adeo abreptum crediderim, ut consensu non modò aliorum destitutus, sed & *Herodoti* dissensu refutatus multos temporum soloecismos atq; Autorum errores commiserit. *Hesiodum* enim *Homero* ἐπέχρονον, *Mæonem* Chriteidis avunculum, *Cumas* Homeri patriam &c. falsissimè constituit, quæ omnia ἀνισορίαν arguunt. *Herodotus* ab *Ephoro* informatus præceptoris sui vanitate coincidit. *Suida* locum aut multuariè scriptum, aut omninò corruptum dixerim. Nam antea ex eodem *Charace* narraverat HOMERUM Μάρωνος & Μιτίης καὶ Εὐμήτιδος matris esse filium, nunc ex *Mæone* natum contendit. Unde igitur tam subita discrepantia, nisi ab ignorantia? Aut igitur omittendum *Maronem* & *Mitiam*, aut semper legendum *Mæonem*, unde etiam *Homerus* *Mæonides* audit, modestè svaserim. Postremò cuivis facile liquet Divinam *Homeri* nativitatem, & summam ingenii admirationem & credulam gentilium mythologiam sapere.

(a) Vid *Plutarchus* in de *Vita Homeri*, ubi oraculum respon-

si loco hoc tulisse dicitur:
Insula Jor patria est matris, tumuloq; subibis
Isthic, ac caveas, moneo, scirpos juveniles.

Et aliud ibidem subjicitur oraculum, quod vide sis. (b) De hoc Appione *Plinius* *Hist. nat.* lib. XXX. c. ii. testatur, quod evocaveris umbras ad percontandum, *Homerus* quæ patriâ, quibusve Parentibus genitus esset, non tamen fateri ausus, quid sibi respondissent. (c) lib. III. de *Poetica*, §. 20. (d) in libro, quem de rebus patriis, h. e. *Cumæis*, inscripsit. (e) lib. de *Vita Homeri*. (f) in voce Ὀμήρου. (g) Quam in rem elegans *Antipatri* in *Homerum* epigramma in *Certam. Hom. & Hesiod.* p. 52. exstat ab *Henrico Stephano* excerptum, & à *Plutarcho* quoq; sed paulò aliter notatum, cujus ultimum saltem distichon brevitatis amore adducimus:

Πάτρα σὶ πλείθην μίγαις ἕρανός ἐκ ἧ τεκέσθαι
 οὐ διατῆς, ματρὸς δ' ἔπειτα Καλλιόπης.

Δ

Quod

Quod ex versione *Guilielmi Xylandræ* ita accepimus:

Omnipotens calum zibi patria; nec mulier Te

Mortalis peperit, sed DE A Calliope.

S. IV. Prius ad *PATRIAM*, quam *Nomina, HOMERI* investigandam progredimur, quia hæc illã prærequirere, illaq; his multum largiri lucis videtur. Heic verò tanta sententiarum divortia observare habeo, ut, cui assentiar, cujusq; sententiam primo collocem loco, planè nesciam. Rectè igitur *Plutarchus* (a), quum ex *Homero* ipso nihil certi de patriã ejus haberi possit, supervacaneum esse existimat, si nimis anxie inquirere velimus, quibus Parentibus & unde *HOMERUS* sit ortus. *Aristotelis* (b) *Jensis*; *Ephoro*, *Cumæus*; *Herodoto* (c) *Smyrnæus*; *Antimacho* & *Nicandro*, *Colophonius*; *Aristarcho* & *Dionysio Thraci Atheniensis*; *Calasiri Ægyptio* (d) *Ægyptius Thebis natus*; *Atheneo* (e) *Syrus*; *Aliis Salaminus*; Iterum *Aliis Argivus*; Porro *Aliis* aut *Trojanus* ex *Cenchreorum* agro, aut *Ithacensis*, aut *Cyprius*, aut *Gnossius*, aut *Mycenæus*, aut *Theffalus*, aut *Italus*, aut *Lucanus*, aut *Gryinus*, aut *Romanus*, aut *Rhodius* esse dicitur. Septem *A. Gellio* (f) egregiæ celebrantur urbes, à quibus hic literarum Atlas, ceu generosissimis procis certatim desideratus fuit, præter quas *Henr. Stephanus* (g) IV. adhuc ex *ἀνθολογίων* libris civitates numerat, quæ divinum hunc Poetam similiter suum esse contenderunt, quæ conjunctæ hunc ordinem & numerum faciunt: *Smyrna*, *Rhodos*, *Colophon*, *Salamin*, *Jos*, *Argus*, *Athene*, *Cuma*, *Chius*, *Pylus* & *Ithaca*. Eandem de Patria *HOMERI* controversiam tangit, & in laudem *Homeri* adducit *Tullius* (h). Eleganti quoque certamine epigrammatico (i) ipse *HOMERUS* introductus patriam suam fateri jubetur, quod tamen renuit, ne civitatum uni addictus reliquarum invidiam ac inimicitiam incurrat. Reverà tamen sunt, qui cum *Plutarcho* (k) atq; *Eustathio* (l) inusitatum illud *Patriæ* atq; Parentum silentium *Homeri* modestiæ, aut certaminum segeti & materiæ adscribunt. Omnium autem probabilissima & opti-

optimorum Scriptorum calculo probata illa de PATRIA HOMERIS sententia videtur, quod in insula maris Aegaei inter Samum & Lesbium nobilissima CHIO in lucem editus fuerit. Quod ipsum Homerum in hymni Apollinis versibus (m), quos de se ipso cecinisse fertur, indicasse volunt, ubi caeci Chium saxosam inhabitantis meminit. Cui sententiae longae serie summi suffragantur Viri: Simonides $\Sigma\iota\mu\omega\nu\iota\delta\epsilon\varsigma$ (n), Pindarus (o), Theocritus (p), Clem. Alexandrinus (q), Leo Allatius (r), Guil. Xylander (s). Inter alia verò argumenta ex antiquitate producta, & hoc non postremum est, apud Chios olim in honorem Homeri excusum esse NUMISMA, in quo ex una parte Homeri effigies cum nominis inscriptione, ex altera sphinx, urbis insigne fuit (t). Nos salvis Aliorum iudiciis opinamur Homerum ad Meleten fluvium, non propul à Smyrna, civitate postrema Joniae maritima natum, postea ad alios variosque, victus cultusque causa, pervenisse populos, omniumque creberrime in Chio, vino, ficibus & aliis bonis referta insula, habitasse. Plura sanè eaque certiora hac de re dicere potuissemus, si nobis cana antiquitas Didymi Grammatici librum de Patria Homeri reliquisset, sed haec tantum concisè tradita supersunt, & dixisse sufficiant.

(a) Lib. de Homero p. 18. (b) lib. III. de Poetica. Cuius sententiae subscripsit Varro lib. Imag. I. hac ratione potissimum inductus, quia *Ἱερα* (iēras enim gentile est ab IO) Diviniis Homerum honoribus excoluerunt, idque candida fecerunt capella, ut Apollinari viro conveniebat, quod hoc epigrammate probat:

Capella Homeri candida haec tumulum indicat,

Quod ariete mortuo faciunt sacra.

Vid Gellium lib. III, c. XI p. m, 69. Nam Apollini solere capros albos sacrificari etiam Livius indicat lib. XXV. Non portò fuisse patriam Homeri traditum quoque Dionysio Halicarn., Straboni, Suida &c. V. Hieron. Maginum Miscell. lib. III. l. c. Garb. Jo. Vossium de Orig. & Progr. Idol. gentil. lib. I. c. 13. sub. fin. (c) Nam Smyrna Homeri honoribus templum exstruxerat, inque eo simulacrum

erum Iphius collocauerat, conf. *Strabonem Geogr. lib. 14.* (d) Apud *Heliodorum in Aethiopica Historia*, cuius Graeca verba a *Stanislaw Vuarscheuiczki Polono* simul latinè verba habet *Spondanus in Prolegom. de Hom.* Ubi *Calasiris* fabulatur Homeri matrem sacra quaedam patria celebraturam in templo obdormivisse, & ab *Antistite Mercurio DEO* imprægnatam *Homerum* progenuisse, qui ad incesti concubitus characterem in utroq; femore promissam crinium longitudinem à primo statim partu gessisse visus fuit. Ideò factum putat, quod patriam celaverit, quia illum à Patre pulsum infamis exilii puderet, notamque spurii in corpore ferret. (e) lib. 4. *Diphiloph.* (f) lib. III, cap. XI. Noct. Att. p. m. 96. hoc disticto.

Ἐπὶ πόλεις διερίζουσι πρὸς ῥίζαν Ὀμήρου,
 Σμύρνα, Ῥόδῳ, Κολοφῶν, Σαλαμίν, Ἴος, Ἄργῳ, Ἀθήναι.
Septem urbes cersant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

(g.) Ex Certamine Poëtico inter *Homerum & Hesiodum* a. n. 1573 ab Ipso *H. Stephano* græcè in 8va forma edito, ubi primum distichon ita legitur:

I. Ἐπὶ ἐριδμάνουσι πόλεις διὰ ῥίζαν Ὀμήρου,
 Κύμη, Σμύρνα, Χίῳ, Κολοφῶν, Πύλῳ, Ἄργῳ, Ἀθήναι.

II. Ἐπὶ πόλεις μάρναντο σφλω διὰ ῥίζαν Ὀμήρου,
 Σμύρνα, Χίῳ, Κολοφῶν, Ἰθάκη, Πύλῳ, Ἄργῳ, Ἀθήναι.

(h) in Orat. pro Archipoeta, c. XIX, num 15. p. m. 253. *Homerum Colophonij civem esse dicunt suum; Cbii suum vendicant, Salaminij reperiunt, Smyrnaei verò suum esse confirmant.* Sc. (i) quod tale est:

Χίος ἔφυε; ἢ Φημί. Ἦ δὲ Σμυρνᾶι; ἢ Πυλῶν.

Κύμη ἢ ἢ Κολοφῶν πατρὶς Ὀμήρου σέθεν;
 Ουδὲτιρη. Σαλαμίς δὲ, τῆ πόλις; ἢ δ' ἀπὸ τούτης

Ἐξίφου. ἀλλ' αὐτὸς λέξον ὅπη γέγονας.

Ουκ ἔρεω. Τίνῳ ἢ ῥά; πείπεισ μ' ὅτι πατρικὸς ἐπιών,

Ἐξω πὸς ἄλλας ἄμμιν ἀπεχθόμενας.

Quod ab *H. Stephano* latinè ita expressum habemus:

Cbiius es? Hanc equidem: Smyrnaeus es? Hinc quoq; non sum.

Ἐπιὰ Τίβι, αὐτὸ Κολοφῶν, Μαιονίδες, patria est?

Neutra.

Neutra. Quid? es Salaminē fatus? Salaminus hanc sum.

Ipse ergo patriam confiteare tuam.

Non faciam. Cur non? Ex qua me cumq; fatebor

Esse, mibi infensa tūm fuerint reliqua.

(k) lib. de Homero, cujus verba hæc sunt: Ὀυλὸς ἐγκρατῆς ἔχεν,
ὡς μὴ τὴν ἀρχὴν τῆ ἰσότητος ἰπμινησθῆναι, adeo modestus fuit, ut
neq; originem nominis sui memoria prodiderit. (l) qui ita scribit
Ἐπικρύψας ἑαυτὸν ἰ ποιητῆς καὶ σιγήσας, ὅστις πόθε καὶ ὄθεν ἦν, πε-
ρμαχῆς μᾶλλον ἐγένετο καὶ πολύπετος, i. e. abscondens seipsum
Poeta stacens, quando Sunde Ipse esset, factus est potius, ut
multi de eo certarent, plurimarum civitatū civis. (m) vers. 172.

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ ἢ χίω ἐνὶ παλαιόσση,

Τῆ πῖσση μετῴπιθεν ἀριστῆσιν ἀοιδά.

Cæcus vir, habitat autem Chium saxosam,

Cujus omnes postea in pretio erunt cantiones.

(n) In Vit. Human. p. m. 256. Cujus fragmentum asservavit Jo. Stobæus
sermone, quod vita brevis, vilis & curis plena sit, p. 110. Edit. Fran-
cof. Cujus initium ita:

Ἐν δὲ τὸ κῆλλισον χίω ἔεπεν ἀνὴρ,

Ὅμηπε φύλων γενεῆ, ποιηδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Unam sententiam optime VIR CHILIS protulit:

Quod hominum generatio talis sit, qualis est foliorum.

Exstat autem hæc comparatio apud Homerum Iliad. 2 vers. 146. & seqq.
Conf. Siracid. c. XIV, 19. (o) Quando Homeridarum, quos in Chio
habitasse veteres tradunt, mentionē facit Od. II. Nemeor. p. m. 245.
(p) Expressè Homerū χίω ἀοιδόν appellat Eidyll. VII, vers. 47. p. 52 &
Eidyll. XXII, vers. 218. (q) lib. I. Stromatū p. 327. ubi testimonio Chro-
nologo Eubymenis Homerum Chium fuisse probat. (r) Qui hanc
controversiam peculiari libro de Patria Homeri accuratè pertra-
ctavit. (s) Cujus eâ de re ex annotationibus in librum Plutar-
chi de Homero hæc sunt verba: De patria Homeri quanquam sic
magna scriptorū dissensio; tamen Chium fuisse ferè pronuntiaripotest.
(t) Cujus nummi descriptionem apud Fulvium Ursinum exstare idē
Allatius cit. libri cap. XIII memorat. Strabonē quoq; Homericū hujus
nummi à Chijs cusi mentionem facere annotat Lud. Cæl. Rhodiginus.

Leet. antiqu. lib. X. c. II. Sicuti verò *Allatius* numisma illud diu mul-
tumq; in Romanorum museis frustra quæsiverat, tandemq; ex
Eminentis. Cardin. *Francisci Barberini* κειμηλιάρχου oblatum ac-
ceperat, ita quoq; elegantissimè illud in *pres. ad Leet.* descriptum
reliquit. Verba Autoris, qui in paucorum manibus est, in curiosi
Lectoris gratiam adscribere non pigrabor: Numisma, quamvis non
ita magnum, affabrè tamen & satis concinnè ex are factum est. Figura
in eo perbella, non quas sequiora secula, sed quas antiquitas ipsa, dum ar-
tes florent omnes, & sculptura potissimum, non sine posterorum admi-
ratione in aliorum exempla effinxit; ut hinc manifestò appareat Nu-
misma illud ante Christi tempora, florentibus rebus Chii, cūsum fu-
isse. In effingendā enim Homericā imagine artifex, sententiā probatiss-
simorum, qui hac tempestate vigent, sculptoris operam non illaudabilem
insumpsit. Videntur verò ex unā parte Civitatis insignia, Sphinx se-
tricorpor; puella formā & vultu lepido ac venusto, viribus integra, ha-
bitu nonnihil efferata, capillamento spisso, crinibus intortis taniq; colo-
ligatis, quæ demum per utramq; colli partem effunditur, mammis pro-
minulis, alis expansis sublatisq; pedibus ac unguibus Leonis, cuius im-
ginem, inquam & desinit, ad amussim representat, caudā elatā, incur-
vatāq; adversum S. referens, pedibus posterioribus plicatis quasi accum-
beret; anteriori sinistro recto terram calcat, dexter Lyræ subjacenti de-
clinatq; sive illa trichordos sit, sive tetrachordos, fugiunt enim oculo-
rum aciem chordæ cornu, innititur. Lyræ est duorum cornuum, ut &
bovino capite in ima parte erumpentium, quæ sensim expansa, antequā
in suprema parte extenuata in semicyclum desinant, in sese inclinata
jugum sustinent, in quo chordæ appensæ in ima deferuntur cum cornubus
in basin non admodum quadratam, sed circa cornua paulum acumi-
natam; In extrema parte sub Sphingis basi stellula est. Circum inter
caudam, alas, faciem, & pedes anteriores non junctim, sed divisim
ΧΙΩΝ inscribitur. Et hæc quidem ex unā parte Numismatis sunt.
In altera homo, propecta ætatis, manibus volumen evolutum tenens, sella
insidet, barbæ impexæ, nec adeò longæ, concreti cinni promittuntur. Ocu-
li cavi ac fixi, supercilia hirsuta contractaq; rugæ frontis, plieæ deniq;
faciei omnes meditantis ac aliquid parturientis sunt. Totus deniq; est in
lectione voluminis. Ab humeris & pectore ad ipsos pedes, & vincitur ad
manuum tunicâ talari fluentiq; contegitur. Ab humero pallium sub
brachio

brachio, coxendicē, sed magnificè plicatum latè diffunditur. Scilla variè
striata nodis, ijsq; variè exornatur, quæ à flosculis veluti liliorum incio-
piens, in eosdem flosculos desinens, basi fixos, extenuatur. Sella pedes ut
firmiores sint, vinculo ex eadem materia colligantur, quemad modum &
brachia, in quæ sedens Homerus humeris innititur. Ante Homeri fa-
ciem & post terga divisim legitur OMHPOS. Et hoc quidem ex ob-
servatione & relatione ALLATII NUMISMA CHIORUM est. Jaco-
bus Sponius Itiner. part. III. p. 193. typum quoque nummi alicujus an-
tiqui ex Concorniatorum, quos vocant, genere, SMYRNÆ repertū
exhibet, in cujus una parte Homeri effigies cum inscriptione OMH-
POC & palma ad latus; in alterâ aliquis equum manu tenens, qui
fortè in publicis ludis ejus urbis victoriam consecutus hoc rei
monumentum extare voluit. Conf. J. Jac. Hoffmanni Lex. Univers.
Contin. sub voce Homerus p. 869. Uti verò prior ille nummus babi-
sionis, ita posterior nativitate Homericæ locum indigitasse videtur.

§. V. NOMINA Homeri non uno nomine contro-
versa sunt. Nullo enim circumcisionis fœdere certum, nec
baptismatis lavacro sacrū, sed pagano more fortuitum ab ini-
tio acceperat nomen, quod à Melete, Smyrnæ fluvio, ad cu-
jus oram vivere cœpit, MELESIGENIS (a) erat. Apud
Lucianum (b) verò Homerus ipse se à civibus suis non Melesi-
genem, sed Tigranem vocatum fuisse testatur. Postea hoc,
quicquid nominis est, in HOMERI nomen mutatum fuisse con-
cors Autorum sententia est. Sed quâ ratione id factum,
maximè discordant. Plutarchus ex Aristotele refert Lydorum
Duces, cum ab Æolibus affligerentur, ac de Smyrnâ relinquen-
dâ cogitassent, per præconem edixisse, ut, quicumq; ipsos se-
qui vellent, urbe exirent, Homerum adhuc puerum dixisse &
se velle ὀμνηεῖν, h. è. sequi, unde pro Melesigene se HOMERI nomen
accepisse creditum. Ex narratione Ægyptij Calasiris (c) aliam
mutationis rationem intelligimus, quasi ab hirsuti femoris af-
fectu ὀ μνηεῖς, i. e. femur dictus fuerit. Luciani testimo-
nio Homerus aliquando apud Græcos obsidis officio functus

Bz

(i. e.)

(i.e. ὀμηγεύσας), inde sibi hoc nomen imponi atq; retineri passus est. *Ephorus Melesigenens* idcirco *HOMERUM* cognominatum autumat, quod cæcus fuerit factus. Sic enim *Cumanos* atq; *Jones* luminibus captos appellasse, eò quòd ὀμηγεύων, h. e. *ductorum* indignuerint, ipse domesticus testis est. Alii (d) ὀμηγεύων per metathesin dictum existimant, quasi μῆγεύων, *non-videntem*, qui itidem *Homero* à cæcitate inditum nomen volunt. Hinc *COECUTIENS Mæonius Martiano Capelle* (e) nuncupatus legitur. Sed quid de hoc cæco cæci nominis ortu statuendum, ex subsequentiis; *An & quomodo Homerus cæcus fuerit?* clariùs elucebit.

(a) Quod ex *Aristotele*, *Herodoto*, *Ephoro* atq; *Plutarcho* referunt *Faber* in *Thesuro Erud. Schol.* voce *Homerus* p. 1101. *Hoffmannus* *Lex univers.* Tom. I. p. 785. *Torrentinus* in *Elucid. Poet.* p. 141. (b) *Verarum hist.* lib. 2. (c) apud *Heliodorum* in *Æthiopica Hist.* c. XVI. p. 520. (d) Quorum meminit *Jo Sanderus* de *Parent. Hom.* p. 18. (e) Ex *cujus* lib. I. id allegatum habet *Hoffmannus* *L. II.* Tom. I. p. 785.

§. VI. *COECUM* fuisse *Homerum* natum pernegant *Proclus* (a), *Vellejus Paterculus* (b), atq; *Cicero* (c), gravissimis eruditionis, peregrinationis ac observationis *Homericæ* argumentis inducti. Multorum ex adverso literis proditum est *Homerum* aut fuisse cæcum natum (d), aut malum hoc ipsi natu jam grandi, & morbo aut senectute confecto (e) accidisse, aut pœnæ loco excæcatum fuisse (f). Deniq; sunt, qui *Homericæ* cæcitatem pro *Platonica* mortis meditatione habent, quod oculi ejus nullis cupiditatibus unquam fuerint infecti victi-que (g). Cui sententiæ rectâ voluntate coacti eò libentius subscribimus, quo magis id ex *Homericis* piis modestisq; versibus passim docemur. Verosimile igitur est pætulos parvosq; *Homericos* oculos, horridum & meditabundum ipsius vultum, incultum impexumq; habitum cæcitatî, Cæcitatem *nomini* anam dedisse *palmariam*.

(a)

(a) *Quivitam Homeri* descriptam edidit, quam operi suo de *Pe-
ria Homeri* præmisit *L. Albius*, ubi de cæcitate Homeri hæc legun-
tur: *Τυφλὸν δὲ ὄσσι τῆτον ἀπιφῆσας, αὐτὸι μοι δοκῶσι τὴν Διγ-
νοίαν πεπηρῶσαι. Τυφλῶν δὲ κατὰ δὲν ὁ αἰθρῶν, ὄσων ἔδεις
πῶπι.* Quicumq; autem eam cæcum fuisse asseverarunt, na ipsi, ne
mibi videtur, cognitione lasi sunt. Hoc enim vir ille vidit, quod nec
cæteri illi homines omnes. (b) lib. I. c. 5, *Homerum*, inquit, si quis
cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbis est. (c) lib. V. *Tusc.*
quæst. circa fin. *Traditum est, Homerum cæcum fuisse.* At ejus pictu-
ram non poesi videmus. *Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ
species formæ, quæ pugna, acies, quod remigium, qui motus homi-
num, qui ferarum non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ne
videremus, effecerit?* Sc. Conf. *Jo. Passeratij Orat. & Præf. in Pro-
pert. lib. II. p. m. 34.* (d) Vid. de cæcitate Homeri *Orationes
Andr. Wilkij Lips. 1605.* editas. *Vossium lib. I. Instit. Orat. p. 65. 75.*
(e) *Heraclides* per morbum in cæcitatem cecidisse illum scripsit.
Id propter *Homerum* seipsum depingere existimant sub *Demodosi* no-
mine *Ὀδυσσ. θ.* qui oculis quidem orbatus, ob carminum tamen
suavitatem atq; excellentiam magnopere fuerit laudatus. Sic enim
Alcinous ministris præcipit, ut *Demodocum* accersitum abeant,
vers. 43. seqq.

Advocate verò Divinum Cantorem

Demodocum, huic quidem Deus excellenter dedit cantilenans
ad oblectandum, quocumq; animus ipsam impulerit, canere.

Mox vers. 65. *Homerus* de hoc Cantore ita:

*Quem supra modum Musa dilexit, dedit verò bonumq; malumq;
Oculis quidem privabit, dedit autem dulcem cantilenam.*

(f) Quod *L. Cœl. Rhodiginus Lect. antiq. lib. XV, c. XXV*, cujus
authoritate nescio, adserere videtur his verbis: *Homerum lite-
rarum Principem idè excæcatum memorant, quòd in Helenam stylum
distringere sibi permisset; nec visus deinceps unquam fuisse compotem,
quod delicti perseveraverit imprudens.* (g) Ita *Suidas* statuit
*Τυφλὸς ἐκ παιδῶν γερονῶς, τὸ ἰαληδὲς, ὅτι ἔχῃ ἡττηθῆναι Ἰπποκράτους, ἢ
Διὸς τῶν ὀφθαλμῶν ἀρχεται, καὶ Διὸς τῆς ἰσορροπίας τυφλὸς.* Cæcus à
pneuro natus, sed quod verum est, quod cupiditate non fuerit victus, quæ

ab oculis incipit, propterea cæcus fuit dictus. Huc apprimè quadrat
insigne illud *Heinsii* in *notis ad Silii librum XIII.* epigramma,
quod adscribi legiq; meretur:

Inclytanatura mens linguaq; Dius Homerus,

Ultimalex hominum, proxima meta Deum.

Ille oculos gessit sub pectore, nobile monstrum,

Hinc facies oculos non tulit illa suos.

Omnia qui vidit, terras hominesq; Deosq;

Omnia qui potuit cernere, cæcus erat.

§ VII. Domesticam *Homeri EDUCATIONEM* & pri-
vatiorem primæ ætatis *STUDIA* quod attinet, verosimile est
Homerum ea ætate suos quoq; habuisse Magistros, Viros procul
dubio doctrinâ, sapientiâ ac virtute eximios, quorum præ-
ceptis ac institutis ad illud omnis eruditionis fastigium, quod
in ipsius poematibus deprehendim, pervenerit. Eâ enim na-
turæ & ingenii bonitate præstitit, ut, teste *Herodoto*, omnes
sui ordinis adolescentes facile præverterit. Et cum *Pbemi*,
ludi *Smyrnen* Magister, nostri *Melesigenis* privignus, vitâ
functus universa ei legasset, paulò post *Critbeis* quoq; fato con-
cessit. *Melesigenes* itaq; ludo præfectus, in magnâ fuit homi-
num admiratione non apud suos modò, verum apud pere-
grinos etiam, qui frequentes illuc mercaturæ causâ conflue-
bant. Dehinc cum Mercatore quodam, cui *Mentis* nomen, ludo
literario relicto, peregrinationem ad exteras *Tuscia*, *Hispanie* &
Ithace regiones suscepit. Neq; Eum in his *Europa* regionib; sub-
stitisse, sed in *Ægyptum*, quam ea ætate Græcos eruditionis stu-
diorumq; gratiâ adire solitos fuisse constat, trajecisse *Diodorus*
Siculus (a) scriptum reliquit. Totam quoq; *Græciam*, omnesq;
illius nationes *Homerum* peragrassè ex eo colligit *Plutarchus*,
quod in opere suo variâ usus sit dictione, atq; ex omni Græ-
corum dialecto loquendi formulas illi inseruerit. Quàm fru-
galis & tenuis fortunæ homo fuerit, ipsius musa mula &
mendica testatur. *Cumeis* aliquando, si publicè Eum, alere
vel-

vellent, se arte sua poeticâ eorum civitatem celeberrimam redditurum, promiserat. Quod cum Senatorum nonnulli calculo suo probassent, plurimi tamen hoc prætextu repugnarunt: quod, si semel *ὀμηρῆς*, i. e. *cæcos* alendos susciperent, futurum esset, ut continuo turbam & multam & inutilem haberent. Idcirco diris devovit Cumanos *Homero*, ut Poetarum nullus honestam Eorum mentionem faceret unquam. Inde *Pboceam* venit, convictu atq; hospitio ludimagistri *Thestoridis* eâ lege usus, ut carmina, quæ meditaretur, ipsi privatim describenda traderet. Quibus spoliis *Thestorides* onustus scholâ atq; alumnus suum reliquit, *Cbium*q; se contulit. Illic autem, ludo erecto, carmina pro suis venditans egregiâ simul laudem & fructum non vulgarem sibi paravit. De quo cum *Homero* renunciatum esset, in *Cbium* profectus, ibiq; incertâ sede vagatus in caprarium, nomine *Glaucum*, fortè incidit, à quo benignè exceptus, mox ad herum hujus adductus est. Is cum animadverteret *Homerum* multâ rerum peritia esse instructû, eidem persuasit, ut apud se commoraretur, liberorumq; quos habebat adolescentes, formandorum curam susciperet. Quo munere suscepto, mox per *Cbiû* inclarescere cœpit. De *Homeri* itaq; adventu certior factus *Thestorides* è *Cbio* aufugit. *Homero* autem in *Chio* subsistens è puerorum institutione tolerabilem sibi victum comparavit, ductâq; uxore duas ex illa suscepit filias, quarum una decessit innupta, alteram viro *Chio* elocavit (b).

(a) Lib. I. Bibl. Hunc S. Justinus Cohort. ad Græcos p. 10. & 26. Edit. Paris. appellat *ἑυδοξότατον τὸ ἰσοεὐροειάφρον*. (b) Pleraq; ex Herodoti libro, qui de *Homeri* vita superest, excerpta sunt. Conf. Spondani Prolegom. de *Homeri* Nomine. B. M. Sam. Meigeri Nucleum Histor. lib. I. c. 32. p. m. 156. seq. B. Jo. Sanderum l. c. p. 24. 25.

§. IIX. Nihil in universâ *Homeri* historia tam intricatum & variis Autorum opinionibus impeditum est, quàm
ÆTA:

ÆTATEM HOMERI sine formidine oppositi determinare.
Ipse sententiarum numerus prohibet, ne ineamus nume-
rum. *Crates* (a) ante Heraclidarum reditum, intra 80
post Trojanum bellum annos, floruisse Homerum tradit,
Eratosthenes post 100, ab Ilio capto, annum. *Aristarchus* cir-
ca Jonum coloniam deductam, quæ 140. annis res Iliacas secu-
ta est. *Philochorus* post Jonicam migrationem, præside Athenis
Archippo, post Ilii captivitatem annis 180. *Apollo-dorus* ab Ilio
capto annis 250. *Suidas* Homerum primam Olympiadem
annis 57; *Porphyrius* annis 130 eam antecessisse scribunt.
Prima autem *Olympias* instituta fuit post Trojanum exci-
dium annis 460. Trojanum verò bellum in Historia Græcâ an-
tiqvissimum in *Jeptha* Israelitarum Judicis tempora; aut
paulò antè in annum mundi 2760 incidit. *Herodotus* Homerū
nunc (b) 400 ante se annis existisse opinatur; *nunc*, (c) ab
Homero nato 622 ad Xerxis usq; in Græciam trajectum, 168
verò post Troj. bellum annos computat (d). *Cedrenus* Ho-
merum sub *Davide & Salomone* collocat; excidium verò Tro-
janum sub *Saule*, unde colligere est, quantum temporis ab
 Ilio capto ab fuisse Poetam velit. *Michael Glycas Siculus* (e) Ho-
merum quoq; *Salomoni* coætaneum facit. Ipse *Eusebius* tri-
bus in locis diversa eâ de re tradidit, tantâ priorum scripto-
rum inconstantiâ abreptus: *initio* Homerum ex mente
quorundam ad A. M. 4040; *deinde* ad A. M. 4092; *deniq;* ad
A. M. 4288 refert (f). Jam si *Eusebio* sagacissimo tempo-
rum perscrutatori certi nihil statuere licuit, quid nobis spe-
randum? Quod si tamen conjecturis locus relictus, haut
multum aberraverim, si statuam HOMERUM sub initium
quarti-millenarii ab orbe condito floruisse, annis ante N. C.
circiter 900, & quod excurrit. Quo calculo non procul
distare putamus ab opinione *Ciceronis* (g), *Velleji Paterculi*
(h), atq; *Cornelij Nepotis* (i), quorum antiqva fides fidem fa-
cile

eile meretur. Etiam si verò tam diversæ atq; discordes de *Homeri ætate* veterum sint sententiæ, apud omnes tamen in confesso est nullum hodie penes *Græcos* existere scriptum, quod alicujus pretii sit, *Homeri operibus* antiquius. Frustrâ igitur & nullâ temporum ratione inducti *Just. Lipsius* atq; *Scaliger* statuere videntur, *Hesiodum* *HO-MERO* antiquiorem, eò quod in illius opere major simplicitas, & quasi rudior appareat antiquitas (k). Neq; utilior *M. Varronis* aliorumque (l) labor est, qui eximium *hoc Poetarum par* aliquo tempore eodem vixisse contendunt. *Seneca* (m) non immeritò quæstionem illam de *Homeri & Hesiodi ætate* inutilem cognituq; planè indignam arbitratur. Quod de *Philosopho*, qui bene honestèque in *Societate* humanâ vivendi rationem tradit, verum; sed de *Historico*, qui temporum rationes inire, summorum Virorum ætatem accuratius investigare debet, falsum esse dixerim. Cum illis tamen facimus, qui *Homerum*, quàm *Hesiodum* natu majorem fuisse scripserunt, ut ut expressam ætatum distantiam ex illo ἀδήλω καὶ μυσικῷ temporum squalore supputare nesciamus.

(a) Cujus & reliquorum sententiam succinctè recenset vetustissimus Pater *Tatianus*, *Justiniani Martyris Auditor*, in *Orat. adv. Græcos* p. 160. (b) lib. II. *Histor.* (c) lib. de *Vita Homeri*. (d) His autem adversis locis sibi non constat *Herodotus*. Testatur enim bellum Trojanum ætatem suam, sub Imp. *Xerxis* actam, 800 annis antecedere; Ex adverso alibi *Homerum* 168 post bellum Troj. 400 saltem ante se vixisse dicit, eoq; sic numerum ad dimidium fermè subtrahit. Quod cum vidisset *Camerarius* illud πρεξαχθίοισιν mutavit in ἐπιαχθίοισιν, ut locus *historiarum* cum loco *vite Homeri* rectius congruat. Si enim bellum Trojanum 800 annis ante *Herodotum* gestum fuit, & *Homerus* 168 annis post bellum Trojanum floruit, sua sponte sequitur *Homerum* ab *Herodoto* 768, vel numero rotundo 700, distitisse annis. Quod verò numerum 622 à nato *Homero* ad *Xerxis* usq; in *Græciam* excursum attinet, ad illum Jo.

C

MEUR?

Meursius lib. III. de Regibus Atheniens. c. XV. p. 233. hæc annotat:
Si calculum ponimus, & ab illâ expeditione Xerxi retrò computamus
annos 622, necesse est natalem Homeri in Melanthe principatus annum &
incidisse; fueritq; annus ultimus Medontis, ei ætatis duodecimus; vene-
ritq; Athenas potius sub Acasti, Medontis filii principatu. Sed locus
iste, dum pellego, animum turbat, & σψάλαται laborare vide-
tur. Si enim Xerxis in Græciam transitu, qui Calliade Athenis
Archonte, ut habet Diodorus sub initium lib. XI. c. 11. p. 339. anno 1.
Olymp. LXXV, qui juxta Calvisii & Helvici calculum est A. M.
3470, contigit, retrò numerentur 622, natus esset Homerus A.
M. 2848. Hic autem mundi annus incidit in annum XXVI. regni
Melanthe, penultimi Atheniensium Regis. Inter hunc verò & ul-
timum Medontis annum plures intersunt anni, quàm 50. Quin si
ab octavo Melanthe anno, quem Meursii textus indicat, supputare
velimus, 72 anni intercederent. Ultimus igitur Medontis annus
non potuit esse XIIus ætatis Homeri. Quòd si pro voce Melanthe
substituatur vox Medontis, cui etiam rectius vox Principatus tribui-
tur, quum is primus Atheniensium ARCHON perpetuus fuerit, ea,
quæ sequuntur, benè cohærebunt, ut tamem de 622. annis ab-
ijciendi forent 41. (e) quem latinitate donatum doctissimi Viri
Jo. Leunclajsi beneficio habemus. (f) Conf. Spondanus in Proleg.
ubi hæc loca Eusebii evoluit, & Goropii studio paululum emen-
data dedit. (g) Qui in Bruto ita: Homeri etsi incerta sint tempora,
tamen annis multis fuit ante Romulum. (h) lib. 1 Hist. c. 5. Homerus
inquit, longius à temporibus belli, quod composuit, Troici, quàm quidam
rentur, absuit. Nam ferme ante annos 990. à tempore Tiberii, sub
quo vixit Vellejus, floruit, intra mille natus est. (i) Cujus fragmentum
è primo Chronicorum libro citat Gellius lib. XVII. c. 21. p. m. 430.
quod Homerus vixerit annis circiter 160. ante conditam Romam. (k)
Quod, A. Gellio lib. III. c. XI. p. 95. Noct. Att. teste, jam suâ
ætate voluit Eporus, Historiæ scriptor, & L. Accius Pœta, cujus le-
vissimum ex primo didascalico argumentum hoc erat: Homerus,
cum in principio carminis Achillem esse Filium Pelei diceret, quòd esset
Peleus non addidit, quàm rem procul dubio dixisset, nisi ab Hesiodo jam
dictum videretur. De Cyclope itidem, inquit, vel maxime quod uno-
culus fuit, rem tam insignem non præterisset, nisi a què prioris Hesio-

di carminibus vulgatum esset. Elegans sanè prioritatis causa, scilicet! (l) lib. I. de Imagin. idque ex epigrammate tripodi inscripto, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus tradebatur, ostendit:

Ἡσίοδος Μῦσαις ἐλικώνιοι τόνδ' ἀνέστη, *h. e. Hesiodus*

Ἰμνω νικήσας ἐν χαλκίδι Θῆον Ὀμηρον. *h. e. Hesiodus*

Musis in Helicone hunc tripodem suspendit, hymno vincens in Chalcide divinum Homerum. Quod si verum esset Homerum atque Hesiodum carminibus invicem certasse, quod etiam Plutarchus in

Conv. VII. Sap. p. 153, & lib. V. Sympol. qv. 2. p. 675. innuere videtur, magno sanè id argumento foret duo hæc lumina simul in

coeloliterati orbis splenduisse. Et exstat Certamen quoddam Poeticum inter Homerum & Hesiodum Anno 1573. in 8vo. à Doctissimo

H. Stephano græcè editum, ex quo pauca, quia rarus libellus est, referam: Cùm enim Homerus atque Hesiodus versibus æθὲς ἀλλήλας

dimicassent, Græci quidem omnes Homerum coronare volebant; Rex Panædes jussit unum quemq; optimum ex propriis poematibus recitare.

Ubi Hesiodus primus decem versus iniciales lib. II. Ἔργ. καὶ ἡμερῶν p. m. 23. Homerus autem ex Iliadis lib. N. versum 126. cum 7. seqq; Ἔσπορτο ex eodem libro vers. 339. cum 5. seqq; cecinisse dicuntur. Græci in hoc quoq; Homerum admirantes laudabant, quod convenienter carmina essent facta, ἔσπορτο δὲ victoriam dare jubebant. Rex verò Hesiodum coronavit, æquum esse, inquiens, provocantem ad agriculturam ἔσπορτο vincere, non verò bella cadere enarrantem. Huc fortassis respexit Cleomenes, qui patrio more λαχονικῶς dixit: Τὸν Ὀμηρον Λακεδαιμονίω εἶναι πιητικῶν, ὡς Χρῆ πλεμῆν λήγοντα, τὸν δὲ Ἡσίοδον τῶν εὐλάων, λέγοντα ὡς χρῆ γεωργεῖν. Vid. Alianum lib. XIII, Var. Hist. cap. 19. Hoc pacto Hesiodum palmam reportasse, & in victoria signum tripodem Musis in Helicone, anathematis instar, suspendisse tradunt. Meminit quidem Hesiodus gloriosi cujusdam certaminis Ἔργ. καὶ ἡμερ. lib. II. vers. 272. & seqq. strenuè Amphidamantis, in quo Chalcidem se trajecisse jactat, utrum verò illud ipsum sit, an cum alio Poetâ susceptum, aut sub horum Poetarum nomine effectum Autores certant, ἔσπορτο adhuc sub Judice lis est.

(m) Sic enim Epist. 88. scribit: Ἰλλὰ δισκάμω, quæ Homerum fecere sapientem. Hoc quidem me quærere, utrum majore ætate fuerit

Homerus, an Hesiodus, non magis ad rem pertinet, quam scire, an minor Hecuba fuerit, quam Heles a? Conf. Eiusdem libr. de Brevit. Vit. c. XIII.

§. IX. *Cum Vita Homerica fata, quæ hoc brevissimo elaborationis spatio & tenui rerum apparatu adduci potuerunt, non possunt nisi singulari HOMERI OBITU finiri. Neq; in morte Vatis conveniunt Auctores. Alii Ipsum debilitatis corporis viribus, alii ægritudine animi, alii fame extinctum volunt. Herodotus, quem ego ut cæteris antiquiorem, ita præstantiorem omnium primò laudo, locuples testis est Homerum, cum senio confectus desiderio Græciam visendi flagraret, ex insula Cbio in Samum trajecisse, ibiq; hiemem exegisse. Ineunte autem vere Athenas, Teste eodem, profecturum è Samo solvens ad Ium appulit, ut certamini Musico, quod Jenses Saturnalia appellant, interesset. Hic Homerum graviter ægrotare contigit. Egressus igitur è navi in crepidine littoris aut jacebat, aut in faxo confedebat ægrotus, navis enim, quâ vectus erat, statio non ad urbem, sed in littore maris erat. Quumq; diutius illic ob navigandi difficultatem morarentur, subinde pleriq; ex urbe ad Homerum accesserunt, qui carmina illius admirantes singulariter quoq; Ipsum habuerunt. Huc quoq; pueri piscatores fortè appulsi, hæc nautis atq; hospitibus Homeri verba fecerunt: Agite peregrini, audite nos, numquid eorum, quæ proponuntur, intelligatis? Illic præsentium quidam eo s loqui jubebat. Illi, nos, inquirunt, quæcumq; cepimus, reliquimus; quæ verò non cepimus, nobiscum portamus. Et cum nemo illud ænigma interpretari posset, piscatores explicabant: Se nimirum, cum piscium nihil capere possent, desidentes in sicco pediculos venatos, & horum quotquot cepissent, abjecisse, quos autem non invenissent, domum retulisse. Quæ audiens Homerus hæc carmina admirabundus dixit:*

Τότων γὰρ πατέρων ἐξ αἵματός ἐκγεγάατο,
ὄντι βαθυκλήρων, οὐδ' ἀσπιτα μῆλα νεμόντων.

H

*Hi vos, o pueri, tales genuere parentes,
Nec latis fundis, gregibus neque mille potentes.*

Morbus igitur, è navigationis difficultate contractus, vera fuit, ex fide *Herodoti* mortis *Homerica* causa, quo absumptus extremum in *Insula Jo* clausit diem. Extinctus verò à comitibus suis atque civibus, qui ex urbe in colloquium cum eodem venerant, ad oram oceani ibidem honorificè sepultus est. *Plutarchus* *Homerum* piscatores littori fortè appellentes hoc versu, quem *Proclus* illi tribuit, ultrò interrogasse refert :

Ἄνδρες ἀπὸ Ἀρκადίης θηήτερες ἢ ῥ' ἔχοντες ἡ;
Viri ex Arcadia venatores, habemusne aliquid?

Illi autem, quod nihil ceperint, sed propter piscium penuriam pediculos quæsierint, ita responderunt :

Quæ nunc cepimus, hæc sinimus; non capta tenemus.
Hoc ænigmate significabant, quod pediculos captos & occisos deseruissent, quos verò non cepissent, in vestimentis adhuc alerent. Quod cum *Homerus* conjectando assequi non posset, præ animi dolore ex mente *Plutarchi*, *Procli* & *Valer. Max.* (a) mortuus est. *Sotades* apud *Stobæum* (b) fame consumptum *Homerum* prodidit. Quæ verò harum seorsim valeat sententia, tantum abest, ut discernam, ut potius omnes tres simul mortem *Homeri* accelerasse potuerint. Senex enim *Homerus* inter navigandum extra diætam & sapidum ciborum apparatus, nausæ aliusque difficultatis marinæ incommodis facile defatigari potuit, ut juvenum proterviâ & affectata ænigmatis solutione accedente ægrè vixerit, tandemque versus canere, spiritum ducere apud *Jenses* (c) desierit.

(a) lib. IV. c. XII. Extern. 3. p. m. 290. (b) ut monet *Gyraldus*:
πὶν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατὰ Σωπείνησιν, h. e. *Divinum Homerum fame absumpsit*: Quemadmodum & de paupertate *Ipsius Ovidius* monuit :

C 3

Sape

Sæpe pater dixit, studium quid inutile teneas?

Mæonides nullas ipse reliquit opes.

(c) In eo consentiunt Herodotus, Plutarchus atque Suidas, quod in
Jus. Jo mortuus sit. Inconstanter Plinius nunc in Jo, nunc in
Scyro tumulatum dicit, Solinus in Chio, Martianus Capella in Naxo.

CAP. II.

De Scriptis HOMERI.

§. I. **V**lvis Homeri Fatis ad invidendos ingenii foetus con-
vertimur. Hos si maturos, aut mutilos saltem,
aut planè superstites nobis tradidissent Majores, in *Græca Sa-*
pientum antiquitate non adeò pueri essemus. *HERODOTUS* Ho-
merum Phocæ apud perfidum Thestoridem præter Iliada ma-
jorem quoque scripsisse *minorem* refert, *PHOCENSES* ab *Homero*
quoque *Phocidem* conceptam asseverabant. Apud Chium il-
lum colonum, cujus liberis ab informatione erat, composuit
Cercopas, *Batrachomyomachiam*, *Epicichlidas*, & alia multa,
quæ innominata reliquit *Herodotus*. *ARISTOTELES* Margiten
Homeri laudat. *SUIDAS* recenset ejusdem *Amazonia*, *Re-*
ditus, *Ethiæ pactos*, *Arachnomachiam*, *Geranomachiam*, *Ceramida*,
Amphiarai exitus, *Pegnia*, *Siciliæ ἄλωον*, *Epithalamia*, *Circulum*,
hymnos & *Cypria*. Quorum nil nisi nomina superesse com-
perimus, nisi *hymnos Apollinis*, *Diana*, *Mercurii* itemque *Batra-*
chomyomachian restare dixeris, quæ tamen omnia *Homerum*
habuisse Autorem multi negant.

§. II. Duo accepimus ab *HOMERI* manu κειμήλια,
quorum alterum *calidum*, alterum *callidum* est (a); alte-
rum *corporis robur*, alterum *animi generositatem* exprimit; *ILI-*
AS sc. & *ODYSSEA*. In *Iliade* continentur Græcorum &
Barbarorum gesta ad *Trojam* ob Helenæ raptum; & præ-
cipuè *Achillis* strenua in hoc bello navata opera. In *Odyssæâ*
autem *Ulyssis* ex *Trojano* bello in patriam reditus, & quæ-
cumque per errores in redeundo perpessus est, quasque de
pro-

procis, domui ipsius insidiantibus, poenas sumpserit (b).
 Utrobique tam divinum apparet ingenium, ut non sine ad-
 miratione quodvis legi possit, ac verè de illo hoc pronunciarit
Democritus: Ὁμηροῦ Φύσεως δαχῶν θεαζέσθαι ἐπέων κροσμον
 ἐπικτηνᾶτο πάντοίαν. Rectius igitur *Homeri* Historiæ, quam
Ovidii fabulis convenit vaticinium *Ovidii* (c). Nec abs re
Lucanus (d) suæ id apprecatur *Pharsalia*, quod *Homeri* con-
 tingit *Iliadi* atq; *Odyssæ*.

(a) Sicuti *Jo Lud. Vives* eleganter appellat lib. iii. de trad. discipli

(b) *B. Buchnerus* in *Fabri Thesaurò* sub voc. Hom. p. 1101. utriusq; ar-
 gumentum ita comprehendit: *Ejus carmen, cui Iliados & Odyssæ*
nomen inscripsit, ostendit Principum familias ejus ætatis, & pingit ima-
gines variarum personarum, consiliorum & mirabilium eventuum in
vita. *Basilus M.* universam *Homeri* poesin, laudem dixit esse
virtutis. (c) sub fin.

Nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas. (d) lib. IX.
 vers. 983. *Nam si quid Latias fas est promittere Musis,*

Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Veturi me, teq; legent: Pharsalia nostra
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.

§. III. Quodnam horum prius scripserit *Homerus*, multa
 ti ambigunt. Nos *Spondano* assentimur *Iliadem* *Odyssæam*
 paulò antiquiorem & præstantiorem esse. Hoc autem
 ordine, quo nunc exstant, antiquitus ab ipso Auctore non
 fuisse digesta, sed per partes tantum composita (a), & sæpius
 recitando atq; cantando (b) in memoriâ hominum conser-
 vata, antiquorum est opinio. Nullus enim veterum libros
Iliadis aut *Odyssææ*, sed tantum quasi communes rerum, per-
 sonarum & actionum locos laudat, ex *ILIADÆ* videlicet *Nau-*
machiam, Doloniam, fortitudinem Diomedis, Navium catalogum,
Patrocleam, Redemptionem Hectoris, Parentalia ad Patrocli tumu-
lum, fœderis iſti violationem; Ex ODYSSEÆ verò *Telemacha*
peregrinâ

peregrinationem, Calypsus antrum, Ulyssis navigationem in rate,
Alcinoi apologos, Cyclopeam, Necyam, Circes lavacra, Procorum ca-
dem, &c. (c).

(a) De Iliade tradit Suidas, eam non simul neq; continuâ serie ab
ipso Poeta scriptam, sed per partes, quarum hanc in hâc, aliam in
aliâ urbe, victis quæritandi causâ, compositam reliquisset. (b)
Quod testatur Fl. Josephus contra Appionem Alexandr. lib. i. his verbis:
Et ajunt, neq; hunc Homerum literis suum poema reliquisse, sed cantibus
memoriâ reservatum, postea fuisse compositum, & propterea multam
in eo reperiri dissonantiam. (c) Vid. Aelianus V. H. lib. XIII. c. 14.

§. IV. Cùm igitur Homeri poemata in ipsâ Græcia
primum perquam rara atq; obscura essent, pauciq; saltem
illorum fragmenta haberent, usuenit, ut Lycurgus (a), Spar-
tanorum Legislatores in peregrinatione suâ Asiaticâ ex Joniâ,
carmina Homeri studiosè descripta, primus in Græciam tran-
stulerit ac divulgavit. Post Lycurgum Pisistratus (b), A-
theniensium Tyrannus, aut Hipparchus (a) Pisistrati Filius,
collectis hinc inde dispersis Homeri operibus, ea ita, ut nunc
habemus, in Iliadem & Odyssæam dispescuisse dicitur, ut vi-
delicet juvenum animi ad virtutem & Barbarorum odium
incitarentur (d). Accessit postmodum Aristarchus Gram-
maticus (e), qui utrumque Iliadis ac Odyssæe poema juxta ele-
mentorum alphabeti numerum in XXIV. libros digessit,
textumq; Homeri, & menda, quæ librariorum incuriâ irre-
pserant, correxit. Zenodotus (f) etiam, quem Suidas no-
minat, hac in re operam suam præstitit. Aliam quoq; Edi-
tionem ab Aristotele correctam existisse olim, quæ dicta fu-
erit Ἰλιάς ἐκ τῆς ἀρχῆς (g), perhibet Plutarchus (h). Strabonem
existimare Homeri Iliadem ab ipso Rege Alexandro M. cor-
rectam esse, & notis illustratam opinatur Jo. Sanderus (i).

(a) Quod in Lycurgo p. 41. testatur Plutarchus his verbis: Lycurgus cū
legisset primum versus Homeri, qui apud Cleophyli posteros asservaban-
tur, καὶ ἰδὼν ἐν αὐτοῖς τῆς ποίης ἰδὼν καὶ ἀκατάστατον ἄτακτον
τὸ ποίημα

τὸ πολιτικὸν καὶ παιδαγωγικὸν ἐκείνου ὅτι ἄξιον ἀποδοῦναι ἀντιμισθίαν
 μείνον, ἐγκράψατο πρὸς τὴν αἰσθητικὴν, καὶ σωήραγεν ὡς δὲ οὐκ ἀποδοῦναι.
 Idem de Lycurgo *Ælianus* in var. hist. lib. XIII. c. XIV. Serò, inquit,
Lycurgus Lacedæmonius ἀθρόω πρῶτος εἰς τὴν ἑλλάδα ἐξέμισθον
 τὴν Ὀμήρου ποιήσιν; *has veluti sarcinas secum ex Joniâ, quàm eò pere-*
grinationem suscepisset, referens. (b) Conf. præter *Ælianum* *Ci-*
cero lib. III. de Orat. n. 137. (c) Quod ex *Platone* refert *Ælianus*
 lib. IIX, c. II. ac si *Hipparchus*, fratrum natu maximus & omnium
 Atheniensium sapientissimus, Homeri carmina primus Athenas
 attulerit, atq; coegerit rhapsodos ea in communi Græcorum con-
 ventu canere. (d) Quam causam subministrat *Isocrates* in pane-
 gyr. (e) Vid. *Plutarchus* in libr. de Homero. Conf. *Hoffmannus*
 in Lex. Un. part. I. p. 785. (f) Quem *Suidas* nominat, & *Ausonius*
 in ludo VII. Sapient. canit:

Mæonio qualem cultum quaesivit Homero,

Censor Aristarchus, normaque Zenodoti:

(g) Quid ἱλιάς ἐν τῷ νάρθηκι sit, variè explicant Autores. Intel-
 ligimus per νάρθηκα sive νάρθηκιον, pretiosissimum illud unguen-
 torum scriniolum, auro, gemmis ac margaritis ornatum, inque
 thesauris *Darii Codomanni*, ultimi Persarum Regis repertum, quod
Alexander M. librorum *Homeri* custodia datum voluit, ut pretio-
 sissimum humani animi opus quam maximè diviti opere ser-
 varetur. Vid. *Plinium* lib. VII. Hist. nat. c. XXIX. Conf. *Guil. Xy-*
landr. in notis ad hunc *Plutarchi* locum p. 47. (h) in *Alexandro*
 p. 668. (i) in *Collectan.* cap. V. p. 33.

§ V. Ipsius ARGUMENTI, quod sibi *Homerus* tamè eleganter
 & accuratè describendum sumpserat, veritatem alii in dubiũ
 vocant, alii pro meris figmentis habent. *DIO Chrysostomus*
 (a) facilè primus fuit, qui levi & ficulneâ, nescio cujus *Ægyp-*
ti Sacerdotis, fide subnixus *Excidium Trojæ* convellendum su-
 sceperit. Cujus fucos malè dissimulatos imponere adeo
 potuisse *Laur. Rhodomanno* (b) & *Cl. Ruperto* (c), ut alter sim-
 plici quidem approbatione defunctus, alter majore animi
 ardore ultrà provecus pro causâ *Dionis Rhetoris*, tanquam
 pro aris & focus sibi depugnandum judicaverit, mirari satis

D

ne.

nequeam. Hos verò eleganti oratione depugnasse, & *Ilium* reverà captum obtinuisse *Georg. Henr. Ursinum* (d) verbo dixisse sufficiat. Nullum itaque dubium, quin *Homerus* bellum Trojanum, ceu veram facti historiam, contexendum elegerit (e). Quod ab aliis quoque haut infimæ famæ Historicis tentatum fuisse legimus (f). Etsi verò *Homerus* ipsis belli motibus corpore non interfuerit, nec oculis status actusque belli viderit, ex patrum tamen avorumque relatione & recenti hominum memoriâ tantum fidei documentum colligere potuit, quantum ad sua instituta sat erat. Neque negare velim *Belli Trojani* historiam mox in literas fuisse relatum, & postea ab *Homero* accuratius carmine suo elaboratam. Enimerò *Photius* (g) Constantinopolitanus Patriarcha *Heleam* quandam memorat, Musæi Atheniensis filiam, quæ bellum Trojanum descripserit, παρ ἧς καὶ Ὅμηρον λέγουσι λαβεῖν τὴν ἱστορίαν, à quâ & *Homerus* id accepisse creditur. Fuisse quoque *Phantasiam Memphitida*, *Nicarthi* filiam, quæ *Iliacum* bellum & narrationem de *Ulyssæ* composuerit, opusq; *Memphide* deposuerit, eodem *Autore* (h) relatum est. Unde id *Homerus* à *Phanite* sacro scriba commodatum accepit. *Daretem* quoque ante *Homerum* *Iliadem* conscripisse ibidem (i) refertur. Nulla igitur sunt somnia atque commenta *Homeri*, quæ tanto studio elaboravit ipse, & hætenus omnis æstimavit posteritas. Illud adhuc monendum duco *Homerum* nec omnes *Belli Trojani* res gestas, nec eo ordine, quo gestæ sunt, decenti consignasse (k). Auspicatus enim poema suum ab ultimo belli Trojani anno, idem in *Hectoris* funeratione finivit. Causa huius dispositionis communior illa creditur, quod talis methodus propria quasi sit, & specialiter *Tragico carmini* conveniat. Hæc enim ars *Poetarum* est, ut tū existimentur scribere *Ὀμηδῶς*, quum videantur scripsisse *ἀμειδίως*, quæ est *ἄτακτος* illorum *ἀμεζία* (l).

(a) Qui tempore *Trojani Imp.* summopere ab Ipso amatus, vixit, & scripsit

scripsit *Iliam*, de *Ilio non capto*, quæ inscribitur *ἡρωικὸς*. (b) Qui hanc ipsam *Dionis* orationem versione ac notis instructam promulgavit. (c) in *Histor. Univers.* fol. 73. 39. 82. &. (d) *Orat. de Ilio capto*, quam ad *Observationum Philol.* libri calcem adiecit, p. 241. (e) Licet non nulla ad *Poetarum* instar liberè immiscuerit, longè enim aliter *Historicus*, aliter *Poeta* rem facti describunt, quod pulchrè docet *Vossius* lib. de *Artis Poet. naturâ ac constitutione* c. IX p. 50. & seqq. (f). *Diodorus Siculus* sub *historiæ suæ* initiū testatur, se quoq; *bellum Trojanum*, in V. posterioribus i. *decadis Bibliothecæ* libris, enarratum tradidisse. Superfunt etiam libri XIV. *Ἰαλειπορέων* *Quinci*, quem vulgò *Calabrum*, alii *Smyrnam* vocant, quibus ea, quæ *Homerus* de *bello Trojano* intacta reliquit, consignavit. (g) in *Bibliotheca sua* è *Ptolemæi Hephæstionis* *historiæ* lib. IV. Cod. 190. p. 482. (h) in *Biblioth.* lib. V. p. 486. (i) l. c. p. 474. Conf. *Aelianus* lib. II. c. 2. (k) Conf. *Matth. Dresseri* proleg. in libros III. *Homeri Iliad.* separatim Gr. & Lat. editos de *Ordine Iliadis*. (l) Quam etiam rationem probat *Jul. Cas. Scaliger* lib. III. *Poeticæ*, cap. 96.

§. VI. De *Homericæ DICENDI GENERE* paucis dicturi supponimus *Iliadem*, quæ omnis generis mala complectitur, *Tragoediarum* cothurnum, *Odyssæam* verò *Comædiarum* foccum luculenter satis præ se ferre (a). Utrobique sublimem & rebus idoneum adhibet *Autor* stylum, quod *Rhetorum* præstantissimus *Hermogenes* (b) advertit & egregiè laudat. Sanè sermonis copiam, & suavitatem & accuratam solertemqve rationem, & quod maximum in pœsi est, efficacem, evidentem & rebus tractandis convenientem præstitit imitationem tum elocutione, tum personarum productionibus, tum fabularum effictionibus, tum distinctis versuum sectionibus, ex quibus diversa quodammodo carminum genera constitui possent. Neque intermisit, quin singulis *Oratoribus* suas dicendi formas attribueret: *Nestorem* suavitatem & Auditoribus gratum; *Menelaum* brevitati studentem & propositi assequentem; *Ulyssæm* multa & densa verborum

borum supellectile utentem adduxit. Non igitur gratis & immeritò *Aristodemus* (c) *Homerum* in pangendis carminibus *Epicis* admiratus est maxime. Omnes Græcorum dialectos per opus suum sparsisse *Homerum*, in carminis sui admirabilius & magnificentius decus, supra ex *Platarcho* adduximus. Cui conforme est *Maximi Tyrri* (d) iudicium, quo metricam *Homeri* Philosophiam ita propositam statuit, ut nec *Jonicam*, nec *Doricam* aut *Atticam* omninò esse velit; sed quæ toti Græciæ communis sit. Quippe cum omnibus loqueretur, omnes quoque Græciæ totius linguas in unam aliquam poeseos formam simul & contulit & miscuit. Quo quidem illud est consecutus, ut & accepta essent omnibus, quæ scriberet, & perspicua, singulis verò jucunda. *Quintiliano* (e) idem *Homerus* ob convenientissimum dicendi genus, lætus ac pressus, jucundus ac gravis, cum copia tum brevitate mirabilis, nec pœticâ modò, sed oratoriâ virtute eminentissimus dicitur, quem nemo in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superaverit, quibus omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dederit. Tam vivum & verum *Homeri* carmen putavit *Jo. Lud. Vives* (f), ut non dicere, quæ scripsit, sed ante oculos sistere ipsi dicatur; nec corpora expressit modò, sed animorum reconditos motus, qui sub sensus non veniunt, ut nihil videatur esse aliud poema ipsius, quàm vitæ humanæ imago, quæ per tot secula non tantum auctoritatem vetustatis, sed novitatis gratiam conservavit, cum recens in unoquoque re-
luceat. Plura de *Homericò dicendi genere* elogia colligere nec juvat, nec vacat, maxime cum non desint, qui aut aliter aut durius de *Stylo Homeri* iudicent, ac si de *Diis* loqvatur, ut suis, & nullus *Poeta* tam fœdè scripserit, ideò & errare & mendicare sit coactus (g). Sed verò negari non potest esse & huic Autori, ut ferè contingit omnibus, sua errata atq; vitia, cum primis in iis, quæ de *Diis Gentilium* ex *Orphei Theologia*

gia

gia finxerit, quæ tamen in homine, verâ veri Numinis cognitione destituto, & vulgi opiniones recensente, facile tolerari posse videntur.

(a) Conf. Matth. Dresserus in Proleg. de Tit. (b) lib. II. de formis orat. c. 10, p. 481. *Ἀείσει πηλοῦν ἢ Ομήρου, καὶ Ἐμπεδοκλήου πηλοῦν ἀείσει, καὶ ἐλ.* (c) apud Xenophontem lib. I. Memorab. Socrati p. 725. (d) Diss. XVI. (e) lib. X. Instit. Orat. cap. I. (f) in de tradend. discipl. lib. 3. p. 528. (g) ut scribit Gallæus ad Lactant. p. 100. Conf. Vossius lib. VI. Instit. Orat. p. 493.

§. VII. Dignus igitur *HOMERUS* est, quem sedulo commendemus aliis, ipsiq; nos optimo jure legamus, quod temporis non modo diuturnitate quam plurimos, ingenii autem viribus omnes excellat, sed & maximam ex eo utilitatē capiamus, siue *dicendi* artificium, siue *sententiarum* pondus, siue multiplicem *rerum scientiam* spectes. Nulla artium, scientiarum nulla est, quæ non aut sedem in *Homero* inveniat, aut lucem ex *Homero* præfulgidam nanciscatur. Supervacaneum foret pluribus ostendere, quantam utilitatem scripta *Homericæ Oratoribus, Historicis, Poetis atq; Grammaticis* adferant, cum id ipsum in aprico sit, experto *Roberto* constet, & ex iis, quæ supra de *Homeri dictione* in medium prolata sunt, satis superq; innotescat. Ex *Homero* enim tanquam largifluo fonte hauserunt *Græci atq; Latini*, quo & ipsi ingenii sui monumenta rigarent. Ut non inconcinnè pictor ille *Galaton* (a) *Homerum* vomentem pinxerit, cæteros autem *Poetas* eâ, quæ ipse evomisset, deglutientes. De scientiis *Homeri Mathematicis* nihil hic addimus, quam quod *Geographiæ*, cujus tamen quasi incunabula eâ ætate fuerunt, insigniter fuerit peritus. Unde *Sirabo* (b), antiquorum *Geographorum* *ἡγεμῶν*, sub initium sui operis *Homerum* nostrum primo inter *Geographos* loco collocavit. Longè majus est, quod *Erasmus Schmidius* (c) existimavit, alteram illam continentem, quam *novum orbem* appellamus, nobis *Europæ*

à *Christophoro Colombo* Genuensi An. 1492. auspiciis *Ferdinandò*
ac *Isabella*, Castiliæ & Arragoniæ Regum, primùm detectã,
& mox quinquennio post ab *Americo Vesputio* Florentino,
à quo ipsa *America* nomen accepit, ulterius exploratam,
Homero etiam nostro notam fuisse & decantatam. Quod
suo loco relinqvimus. Præterea *morum & honestatis præcepta*
tantâ dexteritate inculcat, ut non immeritò hac docendi par-
te quosdam Philosophos superasse dicatur *Horatio* (d). *Ari-*
stoteles lanè non in *Ethicis* modò, sed in cæteris quoq; scri-
ptis tanti auctoritatem *Homeri* fecit, ut ipsius carmina ad sen-
tentiam suam confirmandam non rarò adduxerit. Quanto-
pere etiam *Homerus* in conviviorum ab Heroibus celebrato-
rum descriptione *temperantiam ac frugalitatem* commendet,
pulchrè animadvertit *Athenæus* (e). Hinc olim à sapientibus
Viris fortè præceptum crediderim, ut *carmina Homeri* (f) in
publicis certaminibus recitarentur, & in informatione ac e-
ducatione adolescentum adhiberentur, quia his audiendis
paululum advescimus ad *moderationem*, ne cui fortunam
importunè stultève exprobremus; & ad *magnanimitatem*, ne
adversis rebus dejiciamur, sed æquo animo lannas, convi-
cia ac risus feramus. Neq; huic laudi & *Usui Ethico* dero-
gat, quod sæpius etiam vitia legentium oculis subjiciat, ipsisq;
Diis res fœdas atq; obscœnas non tribuat modò, sed in He-
roum quoq; conviviiis decantatas proponat. His enim quasi
verè gestis nec assentitur, nec inepta & prava probat, sed dis-
sensum sæpe suum suamqve improbationem vel verbulo
subindicat, bonosqve à perversis voluptatibus absterret. In
Politicis non minorem navavit operam, primusque rem
civilem in duas divisit species, *unam* pace & lætitiã fruentem,
alteram belligerantem (g). Quibus verò consiliis utriusq; res
gerantur, suis conditionibus egregiè descripsit. Illustre quoq;
de *rectâ Principum educatione* exemplum duobus quasi verbis,
rectè faciendi & bene dicendi, comprehensum in *Pœnice* (h),
Achillis

Achillis Magistro, depinxit. Quantam deniq; *Homerus scientia naturalis* notitiam habuerit, accuratissimus rerum naturalium scrutator *Plinius* (i) haut obscure ex illis colligit, quæ *Homerus* passim de plantarum & herbarum natura, cum primis in descriptione horti *Alcinoi* & herbae *Nepenthes* tradidit. In *Gentilium Theologia* Poetam fuisse præclare versatum erudito Lectori facile patet, *Justinus Martyr* (k) *Homerum* ex opinione *Orphei* plures Deos, ex sua vero sententia unum (l) statuisse Deum, observavit. Quam præclare autem de Hujus unius DEI providentia (m), omnipotentia (n), & justitia (o) scripserit, carminum *avmψia* declarabit. Nec defuerunt inter antiquos (p), qui crediderunt *Homerum* in peregrinatione sua *Aegypticâ* multa ex divinarum literarum monumentis cum de uno DEO, tum de mundi creatione aliisque in Scripturas revelatis didicisse, quæ ipse fabulis involuta deinceps operibus suis inseruerit.

(a) Cujus *Ælianus* in varia Hist. lib. XIII. c. 22. meminit. (b) pag. 1. Edit. Casaub. (c) in Orat. quadam de Americâ, Pindaro subjectâ, p. 258. (d) Epistolarum lib. 1. Epist. 2. v. 3. 4. seqq. (e) lib. 1. *de mōōφ*. c. 1. p. 12. Edit. Bas. (f) Vid. *Isocrates* in Panegyri. p. 144. (g) V. *Plutarch.* in de vita *Homeri*, p. 38. (h) *Iliad.* 1. vers. 442. Conf. *Cicero* lib. III. de Oratore, n. 57. (i) lib. XXV. c. II. (k) *Cohortat. ad Græcos*, p. 17. (l) *Iliad.* lib. IX. vers. 445. seq. (m) *Odyss.* 7. vers. 230. (n) *Odyss.* 8. vers. 236. seq. (o) *Iliad.* 1. vers. 23. (p) Ipse *Justinus* l. c. p. 27.

CAP. III.

De HOMERI post fata Gloria.

§. 1. Post funera virtutem vivere *Homeri* quoque exemplo com-
 pertum est. Multo enim tempore post, quum poesis ejus
 jam publici juris facta & ab omnibus celebrata esset, insigni
 epitaphio (a) ab 705 incolis ornatus fuit. *Martin. Crusius* (b) bre-
 viter *Cbium* insulam descripturus angulum quendam, occasum
 versus, producit, ubi *Helia* montem positum dicit, in cujus
 arce veteri *Homeri* sepulchrum ab incolis monstratum voluit.
Ptolemaum Philopatra HOMERO templum extruxisse, eumque
 decorè sedentem collocasse, circa simulacrum autem civita-
 tes

tes, quæ sibi hunc vatem vendicent, sculpsisse tradunt *Faber*
(c) atq; *Meigerus* (d):

(a) Quod ab *Herodoto* & *Plutarcho* servatum tale est:

Ἐνθάδε τῆς ἱερᾶς κεφαλῆς κατὰ γαῖαν καλύπτει,

Ἀνδρῶν Ἡρώων κασιγνήτρα θεῖον ὄμηρον.

Hic sacrum terræ caput occultatur Homeri,

Qui canere Heroum præstantia facta solebat. Alia quædam

selecta epigrammata in Homeri obitum ex *Anthologia* libris ex-
cerptis *Henr. Stephanus*, eaq; *Cerintamini Homeri & Hesiodi* à se edito
p. 59. & seqq. adjecit: (b) lib. III. Turcogræciæ suæ, annotat. in E-
pist. VI. ex Navig. Nicol. de Nicolais. (c) sub voc. *Homerus*. p. m.
101. (d) *Nucleo Histor. class. V. cap. IX. p. 133.*

§. II. Neq; heic intermittendi illi sunt, qui cum *HO-*
MERIGemmulis suas ornandas putarunt orationum rerumq;
coronas; utpote *Pythagoras* (a), qui *Homeri* dictionibus iisq;
selectis *πρὸς ἐπανόρθωσιν ψυχῆς* utebatur; *Pyrrho* (b) Sceptico-
rum Princeps, qui illum *Homeri* versiculum: *Ὅμη' περ φύλλων*
γενεῆ' βίη'δε καὶ ἀνδρῶν assidue miratus, aliaq; amplexus dicitur;
Anaxagoras Clazomenis (c), qui primus *Homeri* poema de vir-
tute & justitia compositum dixisse fertur. *Arcesilaus* (d) *Ho-*
meri adeo studiosus erat, ut semper antè somnum ejus ali-
quid legeret; expergefactus se ad *amasiū*, h. e. *Homerum* le-
gendum ire innueret: *Jos. Scaliger* (e) XXI. diebus se totum
Homerum memoriæ mandasse fatetur. *Plinius* (f) olim fuisse
quendam refert, qui *Homeri Iliada* ita subtiliter in membra-
nis descripserit, ut ea tota nucis putamine concludi potue-
rit. Plurima adhuc de *Homeridis*, *librorum Homericorum* *ῥαψῶ-*
Δαίσις aliisq; curiosis *ἑμνηματίβυς* adducenda ob paginæ an-
gustiam reticemus.

(a) Vid: *Jamblichius* lib. I. de vita *Pythag:* c. 25. p. 109. (b) Quod ex
Philone refert *Diog. Laertius* lib. IX. p. 567. (c) Ut ex *Phavorino*
scribit *Laertius* lib. III. p. 93. (d) Vid. *Laertius* lib. IV. p. 244. (e) lib. 7.
epist. 1. (f) *Hist. nat. lib. VII. c. XXI. Conf. Gregor. Quecæius in de*
Nobil. & Præst. Hominis, part. 1. cap. X. num. 17. p. 225.

τῶ ὄμ' ἀόξα.

VONA

VNA



NUTRI
DO
&
gi, Sv
Princ
no,
DEI
GU
PR

TISSIMO
STRO
arum
Racebur-
Henetæ
apolita-
MINO.
MO
A.

